



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XI. Eo jure usi sunt Reges Francorum cum bona Episcoporum & populi
gratia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Agapeti Papæ ad Hierosolymorum Episcopum, qui ait post depositionem Anthimi consecratum à se Menam in sede Constantinopolitana. Cui simul atque serenissimorum Imperatorum, inquit, præter ceteros electio favit, tanta omnis cleri ac populi consensio facta est, ut merito ab omnibus electus visus fuerit:

ἄπει καὶ ὡς τὸς λοιπὸς τῶν γαλινοτάτων βασιλέων ἐπέλασεν ἡ ἐπιλογή, ὅμως τοσαύτη ἔτε κλήρις παντός καὶ ἔθνος συνέουσι προσεγγέτο, ὥστε παρ' ἐχθρῶν ὑπελεγῆσαι πισθόεσθαι.

IX. Sed nihil est quod Gallicanorum Episcoporum animos ad faciendam Regibus auctoritatem de expectando in electionibus eorum assensu vehementius inclinare potuerit quam Romanæ Ecclesiæ exemplum. Pulsis enim per Narsetem ex Italia Gotthis, cum Roma vetus iterum Imperio adjuncta fuisset temporibus Vigilij, ejusque, ut putatur, conniventia, constitutum fuit à Iustiniano, qui exemplum in eo sequebatur Theodorici Italiæ Regis, ut electus à clero non antè ab Episcopis ordinari posset quam ejus electio ab Imperatore Constantinopolitano confirmata fuisset, ut docet Onuphrius Panuinius. Vnde postea Gregorius magnus, ut se onere regendæ Ecclesiæ liberaret, scripta epistola ab Imperatore Mauricio petivit ne electioni assentiretur. quod observavit ante Ioannem Diaconum & Aimoinum Gregorius Turonensis: *Scripterat Mauricio Imperatori, conjurans ne unquam consensum præstaret populis. Mox: Data præceptione ipsum jussit institui.*

X. Constantinus quidem Pogonatus, post Concilium sextum, indulgit petitionibus Ioannis Episcopi Portuensis ut libera esset Ecclesia Romana à solutione quantitatis quæ solvenda erat pro confirmatione Pontificis Romani; sed confirmationis necessitas tunc non est sublata. Quin potius additum fuit illi divali jussioni, teste Anastasio, quod non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem, secundum antiquam consuetudinem; & cum eorum conscientia & jussione debeat ordinatio provenire. Idem Princeps postea concessit, Benedicto secundo petente, ut absque mora post electionem fieret ordinatio Pontificis. Quod locum habuit in electione Ioannis quinti. Sed successoris Cononis electio missa fuit ad Theodorum Exarchum, ut mos est, inquit Anastasius. Vnde inferri potest liberatos fuisse Romanos ab onere mittendi decreti Constantinopolim, sed obnoxios fuisse Exarchorum examini, donec ipsi tandem Exarchi defecere.

XI. Sanè Reges Francorum jure illo usi sunt cum bona Episcoporum & populi gratia. Editus fuerat Aurelianensis ille canon anno quingentesimo quadragesimo nono. Anno sequenti Nicetius pleno Regis & populi suffragio Episcopus Lugdunensis ordinatus est, ut loquitur Gregorius Turonensis in vita patrum capite octavo. Quam verò rationem sequerentur in eliciendo Regis consensu docet formula septima apud Marculfum. Fiebat decretum electionis à clero & à populo, eligentium manibus subscriptum, quod per legatos mittebatur ad Regem à corpore civitatis, quod à Marculfo *commune* vocatur, ut apud Iuriconsultos τὸ κοινόν. Adjungebant libellum supplicem, cujus verba concepta referuntur in formula: *Ne destituta sint oves decedente pastore, in loco ejusdem suppliciter postulamus ut instituere dignemini illustrem virum illum.* Decretum illud, consensus civium vocabatur, cujus plerunque rationem habebant Principes, ut patet ex Gregorio Turonensi lib. 111. cap. 11. de Quintiano à Gotthis ejecto à civitate Ruthena, dein ab Arvernens electo anno DXXXVI. quem jussit Rex Theodoricus inibi constitui. Ait idem auctor lib. IV. cap. XV. *Turonici audientes regressum fuisse Regem Clotarium de cede Saxonum, facto consensu in Euphronium Presbyterum, ad eum pergunt. Mox: Et data præceptione Euphronius ordinatur Episcopus.* Hujus Præcepti formula habetur apud Sirmondum in appendice tomi secundi Conciliorum; ubi hæc sunt verba: *Cum consilio & voluntate Pontificum præcedentiumque nostrorum, juxta voluntatem & consensum cleri & plebium ipsius civitatis, in supradicta urbe pontificalem in Dei nomine vobis commissus dignitatem.*

XII. Sed aliquando electum à populo Principes respuebant, ut patet ex Gregorio Turonensi lib. V. 111. cap. XXIII. de Valdone qui Episcopatum Burdegalensem petebat: *Cum muneribus & consensu civium ad Regem properat; sed nihil obtinuit. Tunc Rex data præceptione jussit Gundegistum Santonicum Comitem, cognomento Dodonem, Episcopum ordinari. gestumque est ita.*

XIII. Quare cum pro innata rerum humanarum conditione supremæ auctoritatis arbitrium suis limitibus difficillimè contineri possit, Reges aliquando assensum vertebant in merum imperium, & sublata à clero & à populo electionum libertate, scriptis suis episcopatus concedebant, etiam invitatis & repugnantibus populis, adversus decreta sedis apostolicæ. Si gratum & acceptum clero & plebi designarent, ut fecerat de Mena Iustinianus, inversus quidem erat

A. J. 1. Concilij C. P. sub Mena.

Vide Baluzij Notus ad Agobard. pag. 121.

Ion. Diac. lib. 1. cap. 19. & 40. Aimoinus lib. 1. c. 74. Gregor. Tur. lib. 10. cap. 1.